

140 42  
70

94

871

ALVARUS

GRAMMATICA

LATINA

PA2084

A4

1900

c.1

010871



1080022208

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

EMMANUELIS ALVARI

E SOCIETATE JESU

DE

INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBRI TRES

IN COMMODIOREM ORDINEM DISTRIBUTI

EDITIO SEXTA



Capilla Alfonso  
Biblioteca Universitaria

BARCINONE

EXCUDEBAT FRANCISCUS ROSALIUS

ANNO MCM

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON  
Biblioteca Valverde y Tellez

FONDO EMETERIO  
47065

PA2084

A4

1900



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

EMMANUELIS ALVARI S. J.

PRAEFATIO

## IN COMMENTARIOS

DE INSTITUTIONE GRAMMATICA

Jure optimo labor hic, qualiscumque est, frustra susceptus in tanta librorum multitudine videri posset, nisi singularis illa virtus, qua res parvae crescunt, sine qua maximae dilabuntur, nos tueretur. Etenim, quum patribus nostris illud in primis propositum sit atque ob oculos perpetuo versetur, ut qui Societati Jesu ejusdem Dei Opt. Max. beneficio nomen dedimus, non solum in iis, quae propria ipsius sunt Instituti, verum etiam in rebus, quae minimi videntur esse momenti, concordissime vivamus; visum est ab aliquo nostrum grammaticam artem scribendam esse, qua ubique terrarum, quoad ejus fieri potest, nostri uterentur. Quod onus cum mihi esset impositum, id equidem non meis humeris (scio enim quam sim imbecillis) sed S. Obedientiae viribus fretus, libenter suscepi. Nam ei, qui sponte sua sui juris esse desiit, proprioque judicio atque voluntati propter Deum nuntium remisit, non tam inscitiae nota, quam nec obedientis animi crimen pertimescendum est. Suscepto itaque onere, operam dedi, ne officio meo deessem: fontes ipsos adii M. Varronis Romanorum omnium eruditissimi libros de etymologia atque analogia; duodecim Fabii Quintiliani de institutione oratoria, qui mihi magnum adjumentum attulerunt; Auli Gellii noctium atticarum undeviginti; Probi, Diomedis, Phocae, Donati, Prisciani institutiones grammaticas, ut potui, perlegi, quorum postremus ante mille annos, Justiniani principis aetate, Athenis floruit. Is, praeter caeteros, decem et octo libros scripsit, in quibus passim hominum doctissimorum testimoniis utitur, quorum hodie aut nulla aut perexigua exstant vestigia. Est ille quidem sermone inornato et in-

010871

compto, sed multa ac varia eruditione; labitur interdum, ut homo, praesertim ubi latina praecepta ut Graecus, ad Graecorum normam exigit, sed gravissimorum auctorum, quos tertio quoque verbo citat, praeclara atque luculenta doctrina ejus errata obteguntur penitus et obscurantur. De rebus vel minimis tenuissimisque, hoc est, primis elementis, qua fuit diligentia, testes locupletissimos M. Varronem, C. Caesarem, Plinium atque alios quam plurimos producit. Nemo mihi quidem rem grammaticam copiosius, nemo accuratius aut tractasse aut plures veterum grammaticorum commentarios videtur pervolutasse. Quod ad recentiores attinet, eos potissimum evolvidimus, qui nobis usui essent futuri. Jactis ad hunc modum fundamentis, ex utrisque grammatices praecepta delegimus, quae Terentii, Ciceronis, Caesaris, Livii, Virgilii, Horatii atque aliorum veterum testimoniis pro nostra tenui infirmaque parte confirmavimus. De his, si qui forte in hunc librum incidissent, breviter putavimus admonendos. Reliquum est, (quoniam librorum infinitus est numerus, scribendorum nullus est finis) ut convenienter divinis praeceptis congruenterque vivamus; ita enim fiet, ut in libro vitae conscripti, Dei Opt. Max. conspectu, cui hoc opusculum dicamus, perpetuo fruamur.

## PRAEFATIO

### IN NOVAM HANC ALVARI EDITIONEM

#### I. DE METHODO TRADENDAE GRAMMATICES

*Grammatices P. Alvari ea laus extitit singularis, quam praeclarissimi illi viri, quibus Societas Jesu RATIONEM STUDIORUM conficiendam commisit, nobis scriptam prodiderunt. «Si quid, inquit, in Syntaxi latinum, purum, tutum, elegans optari potest, id non ex aliis grammaticis, qui ea de re vel falso, vel improprie, vel barbaramente praeceperunt, sed ex Emmanuele petendum videtur»<sup>1</sup>. Externi vero plures iidemque sapientissimi viri quot quantisque eam laudibus decoraverint, nemo est qui nesciat. Quorum inter testimonia duo seligam: clarissimi Morerii alterum asserentis, esse eam «absolutissimam omnium quotquot editae hactenus sunt grammaticam»; alterum Walchii confirmantis, «quicumque posterioribus saeculis latine scirent, ejus (Alvari) ope ac studio hoc eos esse assequutos».*

*Dolendum profecto erat, hujusmodi vere aureum librum temporibus hisce nostris vix ab uno aut altero litterarum perito magni fieri, quum praesertim hinc inde libellorum copiam omni saepe auctoritate destitutorum pululare videremus. Hac enim nostra aetate homines nonnulli, aut penitiorum quadam historiae idiomatum cognitione vere eruditi, aut saepius gloriolae novarum rerum studentes, in pristinam docendi methodum tam multa conferunt (quod obsoleta, quod pueris odiosa, quod artis plus habeat quam scientiae, quod inanem verborum strepitum gloriose profiteatur) ut vix ulli persuaseris, posse te in antiquo aliquo grammatico latinam linguam perdiscere. Caecos illos fuisse ac imperitos, passim effutiunt, qui temere ac sine ratione pueros linguam latinam velut aenigma docuerint. Non ut artem, sed ut scientiam grammaticam esse docendam conclamant; suis certis causis vix aliquam formam carere, quibus ineptum esse et iniquum discipulorum*

<sup>1</sup> *Monumenta Germaniae paedagogica. — Ratio Studiorum et institutiones scholasticae Societatis Jesu per Germaniam olim vigentes collectae concinnatae dilucidatae a G. M. PACHTLER S. J. vol. 2. pag. 155. Quantum referat optima nostros uti grammatica, quaeve ejusmodi videatur.*

mentes orbare, eisque veluti rationis expertibus res nudas sub fide magistri ediscendas proponere. Non memoriam solum, sed mentem praesertim esse informandam, singularum rerum rationibus afferendis; qua docendi methodo multo leniorem discentibus laborem comparari<sup>1</sup>.

Multa in istis recentiorum grammaticorum dictis permiscentur, quae nonnihil a veritate deflectunt; alia sunt etiam quae, quamvis vera, minime opportuna esse videntur. Et quo rectius judicare possimus, quid antiquorum, quid recentiorum methodus ferat explicandum est brevi.

Recentiores id contendunt, ut intimam vocabulorum structuram et quasi genesim, logicam constructionis explicationem, quibus vicissitudinibus et commutationibus lingua sit orta, aucta, perfecta, quid tandem proprium habeat, quid commune cum caeteris linguis intelligant planeque explicant. Hinc Grammatica, ut ajunt, historico-comparativa, in qua prisca, aurea, sequior latinitas, immo osca et umbra barbaries permiscentur; difficillimas saepe et a graecorum indorumve lingua longissime repetitas rationes «obtrudunt infantiae balbutienti et circa prima elementa haesitanti»<sup>2</sup>; constructiones substantivorum, adjectivorum, verborumque proprias, maxime vero temporum et modorum significationem et usum ita quibusdam universalibus ideis adscribunt, ut philosophos eos potius quam grammaticos agere existimes. Nullum elegantiae studium, nullus aut scribendi aut loquendi usus, exigua sane auctorum praefectio, superstiliosa anxietas ut formas et constructiones anomalas (quod nomen sensu vacuum esse existimant) ad exactas logicae aut psychologiae leges reducant; moles denique praeceptorum et multitudo et difficultate plane onerosa. Nempe rhetores quosdam imitantur, ut est in Auctore ad Herennium<sup>3</sup>, qui «ne parum multa scisse viderentur, ea conquisiverunt quae nihil altinebant, ut ars difficilior videretur»; vel, ut scribit P. Perpinianus<sup>4</sup>, «falsa opinione scientiae inflati, grammaticam tamquam unam aliquam maximarum artium sibi docendam putant»; tandem, ut lepidissimis P. Alvari verbis utar, «nimum sunt grammatici»<sup>5</sup>.

Quam tamen docendi methodum multo faciliorem esse dicunt quam antiquam. Puero balbutienti fere et haesitanti facilius non erit, credo, nudas

<sup>1</sup> Vide PEZZI. Grammatica storico-comparativa della lingua latina. Prefazione.—SCHLEICHER. Compendio di grammatica comparativa dello antico Indiano, Greco ed Italico. Introduzione allo studio della scienza di linguaggio da DOMENICO PEZZI.—OBRADORS. Nueva gramática latina según el método histórico comparativo. Primera parte. Prólogo.

<sup>2</sup> STREBAEUS. De electione et oratoria collocacione verborum. A. 3.

<sup>3</sup> 1. 1.

<sup>4</sup> De ratione liberorum instituendorum litteris graecis et latinis. cap. 1.

<sup>5</sup> n. 12.

declinandi formas memoriae mandare, quam earundem in ignota prorsus lingua radices quaerere, priscorum inflexionem vestigare, scire quid sit thematis proprium, quid terminationis, quo pacto utrumque jungendum, quanam litterae addendae, quae rejiciendae, quae vero immutandae, ut vix tandem ad id perveniat, quod antiqua methodus sponte et nullis ambagibus offert. Implicatissimae vero illae Syntaxeos quaestiones viris etiam doctrina excultis tantum nonnumquam afferunt difficultatis, ut recte possint illud Terentii grammaticis dicere: «Fecistis probe, incertior sum multo quam dudum»<sup>1</sup>. Ac ne plura, faciliorem esse hanc methodum inter alios apertissime negant Max Müller<sup>2</sup> et Cuervo<sup>3</sup>.

At longe alium scopum antiquiores spectant, longaque aliam ingrediuntur viam. Principio enim quum et mentem et sensum adolescentulorum sibi informandam existiment, ad id vero latini graecique scriptores facile ante alios aptissimi videantur, id unum intendunt, ut aureae illius aetatis monumenta pueri quamprimum et intelligant et imitentur. Ad hoc autem, ut monent Patres ad RATIONEM STUDIORUM scribendam designati «auctorum interpretatio ac stylus longe majoris utilitatis sunt quam praecepta grammatices, quamquam haec ipsa minime negligenda sunt»<sup>4</sup>. Propterea «ars litterarum, sic enim praecipit P. Perpinianus<sup>5</sup>, magna cum cura de multis eligenda, ... quae et brevitate memoriae serviat, et perspicuitate ad docendum invitet, et praecipendi simplicitate intelligentiam adjuvet, et puram et incorruptam latini sermonis integritatem alat et elegantiam». Emmanuel vero noster n. 418 eos reprehendit, qui omnia conclusa praeceptis volunt: «ne nimium sis sollicitus, inquit, rationibus vestigandis: interdum enim pro ratione est voluntas atque usus doctissimorum, quae pluris sunt faciendae quam grammaticorum omnium leges. Aliquando enim elegantiam loquutionis omnes admirantur, rationem fortasse nemo facile invenerit. Itaque quum viri docti in grammaticorum leges minime juraverint, observabimus atque colligemus diligenter quae sua sponte elegantius dixerunt, ut ea nobis ad imitandum proponamus, non ut ad grammaticae normam et angustias ea dirigamus. Et, ut quod sentio breviter dicam, si tum ligata, tum soluta oratione emendate aut scribere aut loqui studes, tibi eos qui utraque facultate prae caeteris floruerunt imitandos

<sup>1</sup> Phorm. 2. 4. 18.

<sup>2</sup> Lec. 1.<sup>a</sup>

<sup>3</sup> Notas á la Gramática de Bello. Advertencia.—Apuntaciones críticas sobre el lenguaje bogotano. Prólogo. §. I.

<sup>4</sup> Monumenta Germ. paedag. Rat. Stud. vol. 2. p. 165.

<sup>5</sup> De ratione liberorum instituendorum cap. 2.